



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Notæ In Notas Willelmi Wendrockii Ad Ludovici Montaltii
Litteras, Et In Disquisitiones Pauli Irenæi Inustæ**

Fabri, Honoré

Coloniæ, 1659

Nota V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39536

N O T A V.

Quarta querela est, inquis, quod Montaltius multa verba ex variis locis simul connectat, & sic unum locum ex pluribus aliis contexat: sed inanis querela est, * cum hæc ad eandem sententiam, eundemque sensum pertineant; nec enim erat, quod ingentes verborum tractus exscriberet, inutili farragine Lectores oneraret, & ineptis næniis *Epistolarum nitorem deturparet.*

Annatus fidei Vestræ sanctitatem, in hac scribendi fallendique arte, luculentis testimoniis, & productis tabulis demonstravit; item uterque Apologista, qui vestras imposturas fideliter, & cum summa laude recensuit: ego, ne jam actum agam, abstineo: præsertim cum prædicta opuscula latinitate donata brevi missurus sim. Ille autem *Epistolarum Montaltii nitor* fucatus est; ac proinde hujusmodi mixtionem pigmenta & fucus postulant: additum aliquid decori: multa, immodò ferè omnia veritati detracta: ingentes verborum tractus exscribitis, & ineptas nænias inseritis, cum ad rem vestram conducunt. Hoc à Patriarcha vestro Jansenio, hæreditario jure, accepistis; qui vastum illud opus suum, ex innumeris centonibus composuit. Id quoque vitii Arnaldus ab eo didicit. Nulli demùm verborum farragini, nulli fraudi, nulli locorum adulterio parcitis, ut veritatem Catholicam obruatis. His porrò *næniis*, quas per contemptum puerilem ita elevas, tragædiæ vestræ subactæ sunt, unâ catastrophe vobis relictâ Montaltius demùm vester, ne hanc ejus laudem reticeam, in hac arte consuendi verba & dolos, contexendi loca & fraudes, ita versatus est, ut typographio navasse operam videatur.

Pag. 57.

N O T A